

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Spes 1
cum fonte primo

Tu es, Domine, spes
mea. Quicquid agendum, quicquid
declinandum, quicquid tollerandum,
quicquid optandum, tu es, Domine,
spes mea. Hec una mihi omnium
promissionum causa, hec tota ratio
mee expectationis. Pretendat alter
meritum, sustinere se iacet pondus diei
et estus, ieiunare bis in sabbato dicat,
postremo non esse sicut ceteri
hominum gloriatur. Michi autem
adherere Deo bonum est,
ponere in Domino Deo spem
meam.

Bernardus sermone XLVIII.

QUONIAM TU ES, DOMINE, SPES
MEA. Quidquid agendum sit, quidquid
declinandum, quidquid tolerandum,
quidquid optandum, TU ES, DOMINE,
SPES MEA. Haec una mihi omnium
promissionum causa, haec tota ratio
meae expectationis. Praetendat alter
meritum, sustinere se iacet pondus diei
et aestus, ieiunare bis in sabbato dicat,
postremo non esse sicut ceteros
hominum gloriatur; MIHI AUTEM
ADHAERERE DEO BONUM EST,
PONERE IN DOMINO DEO SPEM
MEAM.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones*, 9,
5 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot,
H.M. Rochais eds., p.439, ll.2-8).